



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

§. VIII. Ambitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

seant: & in hoc amor proprius, & propria voluntas magis reperitur, quam verus mortificationis amor.

§. VIII.

Ambitio.

Ambitio juxta hominum existimationem est magni animi signum, & Heroum passio; imo, si hos audias, illustrium actionum est parens: at juxta Evangelii principia est vilis animi nota, & scelerum omnium mater. Indigniusne aliquid homine esse potest, quam inferiora se diligere, & hereditatem suam, quæ in cælis est, respicere? Mundi dignitates omnes creata sunt bona, ideoque longe inferiora increatis bonis, ad quorum acquisitionem creatus est homo. Cum igitur homo Deum deserit, ut creaturis adhæreat, ipse se deprimat, illamque animi sui imbecillitatem declarat, quam præsefert, qui in exercitu caelo mavult esse, quam imperator. Habere mundus regnum, quod cælesti regno possit æquari? Verum non ego concionatorem hic agam: sufficit ambitionum errorem obiter innuisse, qui magnum præferre animum putant, dum animi sui pusillitatem declarant. Supervacaneum est ambitionis mala recensere: depopulatæ, & desolatæ provinciæ, hominum clades, urbium incendia hujus passionis sunt fructus, crebraque horum exempla Historiæ suppeditant.

Itaque intra dogmaticos terminos me contineo, & dico ambitionem inordinatum appetitum dignitatum & honorum mundi. *Tripliciter autem*

tem

tem (inquit sanctus Thomas 2. 2. quæst. 131. art. 1.) appetitum honoris contingit esse inordinatum, Uno modo per hoc, quod aliquis appetit testimonium de excellentia, quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo per hoc, quod honorem sibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc, quod appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum. In hoc ambitiosi omnes peccant. Quis enim eorum meritum suum vult metiri, suasque vires ad meliora exercenda pensare? quis Dei gloriam quaerit? quis ad proximi bonum, utilitatemque respicit?

Non semper mortale peccatum est ambitio. Potest optari dignitas familiæ suæ conveniens, aut munus, quo recte in Reipublicæ bonum fungi possumus; neque interim malis artibus ad illam obtinendam uti, neque ab hoc appetitu deprimi, neque illius causa debita sibi officia omittere. Hisce in circumstantiis nullum committitur peccatum. Grave autem peccatum committitur, quando honor propter seipsum optatur, quin referatur ad Deum, aut mortali peccato illum adipisci conamur, aut illo sumus prorsus indigni. Hinc qui Episcopatus, aliasve ecclesiasticas cupiunt dignitates, quarum munera explere non valent, graviter coram Deo peccant, dum hoc desiderium formant, foventque. Præterea dignitatis desiderium, cui pravus finis sit adnexus, peccatum est; veluti si quis dignitatem cuperet, ut ulcisceretur, aut pravæ alicui cupiditati servir-

ret. Demum quando in optato honore ultimus finis statuitur, lethaliter peccatur, creatum enim bonum ultimus hominis finis esse nequit.

Caritas (inquit Apostolus 1. Cor. 13.) non est ambitiosa, caritati igitur opponitur ambitio, ideoque est vitiosa. Nil ambitione est magis adversum spiritui Evangelii, qui humilitatis spiritus est, & humilia, ultimosque recubitus amar, sicut monet Dei filius inquiring: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, sed recumbe in novissimo; quia omnis qui se exultat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14.). Omnes mundi honores nullius apud nos ponderis esse debent; quia (ait sanctus Augustinus *de Civit. Dei*) nullius ponderis est fumus.

§. IX.

Præsumptio.

Præsumptio, superbiæ filia, peccatum est, quo aliquis ea agere assumit, quæ suas vires superant (S. Th. 2. 2. quæst. 130. art. 1.). Mortale est peccatum, quando grave proximo damnum infert. Sic qui Medicinæ ignarus illam exercere præsumeret, mortale præsumptionis peccatum committeret; quia incognitam sibi artem exercendam suscipiens infirmos mortis periculo exponeret.

Præterea cum præsumptio ecclesiasticum, seu civile officium suscipere aliquem impellit, quod